



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 82. Arx S. Angeli Laudam inter & Papiam a Cæsareis capta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Franciscum Rangonium Comitem præ-  
stolatus est, qui cum totidem equitibus, ac  
quatuor peditum millibus sequebatur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1525.

His copiis auctus usque ad Casale ma-  
jus processit; at Pallavicinum præve-  
nit solertia Alexandri Bentivolii, qui  
Ducis Mediolanensis Tribunus, quam-  
vis nonnisi ducentorum equitum, ac mil-  
le quadringentorum peditum agmen  
duceret, tam dextre Gallis instabat, ut  
Pallavicinum profigaret, captumque  
abduceret. Hæc clades penitus ever-  
tit consilia, quæ Franciæ Rex adversus  
Cremonenses moliebatur.

§. LXXXII.

*Arx S. Angeli Laudam inter &  
Papiam a Cæsareis  
capta.*

Interea hostes propius semper ad Pa-  
piensem urbem accedebant, arcem-  
que S. Angeli, quæ Laudam & Papiam  
intersecat, suis armis subjecerunt. Nil  
certius erat, quam hanc arcem a Cæ-  
sareis occupatum iri, non modo ut a  
tergo se tutos redderent, sed maxime  
id ab illis fiebat, ne commeatus ex Lau-  
densi ditione ad eorum castra advehen-  
dus intercipi possit. Hanc ob rem Bo-  
nivetus equidem validum arci præsi-  
dium imposuit, illiusque imperium Pyr-  
rho

Sæcul. XVI rho de Gonzaga Principis de Buffolo  
A.C. 1525. fratri commisit, adjunxitque ducentos  
 levioris armaturæ equites, & octingen-  
 tos pedites Italos, haud ultra memor,  
 quod hæc eadem natio priori anno sta-  
 tionem sibi creditam adeo ignave dese-  
 ruisset, aut forte ipse prævidere ne-  
 glexit, quod in conservanda hac arce  
 salus eorum, quæ Galli tum in Italia  
 possidebant, posita esset. Præterea Rex  
 Chabannium Marefcallum, & Principem  
 de Buffolo decreverat, ut arcis situm  
 explorarent. Equidem Princeps in fra-  
 tre suo obfirmatum sese propugnandi  
 animum, arcemque adeo munitam mi-  
 rabatur, ut Regi significaret, magni o-  
 peris futuram esse arcis adeo firmæ ob-  
 sisionem, si illam aggredi hostes præsu-  
 merent. Verum sua eum sefellit opi-  
 nio; quippe Gonzaga a conjuge sua, quæ  
 Piscarium proxima sanguinis cogna-  
 tione attingebat, deceptus, eadem die,  
 qua sollicitabatur, arcis dedendæ con-  
 ditiones iniit, quas inter præcipua erat,  
 ut Belliduces, qui in præsidio fuerant,  
 capti abducerentur, & gregarii milites  
 solido mense nihil ultra contra Cæsa-  
 rem se moturos pollicerentur.